

HISTORIA DIPLOMATICA  
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT  
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPANUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT  
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIVS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

---

TOMUS II.

PARS I.

---

PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII.

omnibus rationibus imperii quilibet ei respondere debeat tanquam nobis. Concedimus etiam ipsi fideli nostro ut ipse per se et iudices suos possit cognoscere de omnibus causis civilibus et criminalibus et appellationibus etiam in ipsa provincia provenientibus (1), dare possessiones et restitui, supponere etiam civitates, castra et loca et personas banno imperii et absolvere de banno, et cetera omnia facere que nos facere possemus, secundum quod ad utilitatem imperii noverit pertinere; ita quod quidquid ipse ordinaverit seu preceperit ita ratum et firmum habeatur ac si nos ore proprio fecissemus; banna autem et penas pecuniarias quas ipse posuerit firma sint ac si nos posuissemus ea. Si quis autem ei presumpserit rebellis existere, imperialem indignationem nostrumque odium se noverit incursum. Ad hujus vero rei plenam notitiam hanc paginam conscribi nostroque sigillo jussimus communiri.

Hujus rei sunt testes dominus prepositus de Tanna (a), Ermannus de Catena, episcopus Lodiensis, magister Enrigus Previde et Rufinus Placentinus, Johannes de Regio et Robertus de Sancta Maria ad montem curie iudices, et alii plures.

Data Laudi (2), pridie nonas februarii.

Salerni  
post curiam  
Capuae,  
februario.

Fridericus, Romanorum imperator, Rogerio abbati Casaemarii

(a) In impresso de Jan., male.

(1) Ex hujus delegationis vigore idem Everardus sententiam pronuntiavit in causa quae vertebatur inter Soffredum Pistoriensem episcopum et commune Pistorii super possessione seu tenuta quorundam jurium episcopatus praedicti. « Actum prope portam castri Sancti » Miniatis sive Cassan., coram Guarzone notario, Ildebrandino Marescotti, Arnaldo milite » et Ruberto et Johanne iudicibus curie et aliis pluribus, anno nativitatis Domini M CC XXI, » quinto nonas maii, indictione nona. » ZACHARIA, *Ibid.*, p. 353-356.

(2) Jam a secunda parte mensis januarii Conradus in Lombardia morabatur; vid. supra p. 75. Die vigesimo tertio januarii apud Bononiam comiti Ugolino de Panico tanquam imperialis legatus omnes ejus possessiones confirmavit. Cf. SAVIOLI, *Annal. Bologn.*, t. III, p. 3.

restituit et confirmat privilegia a parentibus suis eidem monasterio concessa, quorum tenorem abbreviando memorat.

(Edid. RORDINGIUS, *Hist. monast. Casamarii*, append. p. 137.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Quum imperialem deceat magnificentiam singulorum pensare merita et justis adesse postulationibus devotorum, tanto potius ad sacrosanctas ecclesias et loca piis deputata servitiis tenetur oculos reducere pietatis quanto fratres ibi divinis obsequiis insistentes quiete ac pacifice desiderant Domino sub sancte religionis proposito militare. Inde est quod cum tu, Rogeri, venerabilis abbas sacri monasterii Casemarii, juxta generale edictum quod fecimus apud Capuam in curia solempniter celebrata privilegia quedam domini imperatoris et domine imperatricis divorum augustorum parentum nostrorum recolende memorie in constituto termino nostro conspectui presentasses, quod in eis vidimus contineri qualiter dicti parentes nostri pro excambio sexcentorum tarenorum quos de redditibus civitatis nostre Gajete predicto monasterio concesserant annuatim, stantiam que dicitur Campus Imperator in territorio Suesse dederant, sicut [per] proprios fines dicta stantia in eorum privilegiis nominatur, et ecclesiam Sancti Mansi sitam in territorio Arpini cum omnibus justis tenementis et pertinentiis suis habendam perpetuo et pacifice possidendam et centum barrilia tunnine in portu Panormi annuatim tam lignis quam aliis necessariis preparata et ab eodem portu ubicumque monasterium ipsum voluerit libere transferenda, et insuper concesserant supradicto monasterio plenam libertatem ut et fratres et homines ipsius monasterii vel famuli eorum ab omni pedagio, plateatico, passagio et quocumque exactionis genere sive angarie tam in vendendo quam in emendo, eundo vel redeundo, pro necessariis ejusdem monasterii per totum dominium regni nostri tam per mare quam per terram essent liberi et immunes, et quod liceat ipsis quoscumque libere conditionis se offerre volentes libere recipere cum omnibus bonis et illis se et sua predicto monasterio conferre nisi essent de feudis vel servitiis

obligata, necnon et pro animalibus suis liberum usum pascuorum in omni tenimento Suesse, Sore sive Sorelle et per totum dominium nostrum, et quod libere etiam in predictis locis lignis ad usum ejusdem monasterii uterentur, et quod a castellano Sorelle vel Rocce Arcis et ab omnibus castellanis circum circa morantibus nulla gravamina paterentur vel exactionibus gravarentur, etc. (*sic*); nos attendentes religionem et honestatem tuam, supradicte abbas, et fratrum tuorum qui in eodem monasterio commorantur, ob reverentiam beate Marie et sanctorum martyrum Johannis et Pauli ad quorum honorem monasterium ipsum est fundatum, ac pro salute nostra et remedio animarum predictorum augustorum parentum nostrorum felicitatis recordationis, ad preces ergo domini Honorii reverendi in Christo patris nostri summi pontificis, memorata privilegia tibi benigne restituimus et omnia supradicta, sicut in eis vidimus contineri, que temporibus predictorum augustorum nostrorum parentum et maxime circa eorum obitum dictum monasterium pacifice tenuit et possedit, tibi et successoribus tuis in perpetuum de gratia nostra duximus confirmanda, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad hujus autem confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Johannis de Sulmona notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario majestatis nostre impressa jussimus commūniri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Salerni post curiam Capue celebratam, anno dominice incarnationis MCCXXI, mense februarii, indictione IX, imperante domino nostro Friderico Dei gratia excellentissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno vero Romani imperii ejus I et regni Sicilie XXIII, feliciter. Amen.

Salerni  
post curiam  
Capuae,  
februario.

Fridericus, Romanorum imperator, Balsamo abbati Cavensi privilegium impertitur quo possessiones omnes monasterii ejusdem cum castris et casalibus ibi expressis ei confirmat, omni servitutis